



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

SS. Nazarius & Celsus MM. 28. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

28.Iulii. VITÆ SANCTORVM. 369
sed cum sic mortuis etiam hæresis est mortua.
Ex variis apud Raderum in Aulâ S.

Cum te torpore, acediâ, vel tædio affici sentis, noli propterea desistere à studio spirituali; sed juvantis require manum, trahi te obsecrans, donec denuo suscitante gratiâ factus promptior alacriorq; curras. S.Bern.
serm.22.in Cant.

SS. NAZARIUS & CELSUS MM.

28.Iulii.

Hos etiam flosculos barbarus Neronis gladius demessuit. Sed tamen sanguine suo rigati vivunt illi etiamnum in manibus tuis. Utinam & odorem virtutis sentias. Audi saltem. Spinæ rosam esse proximam ajunt, id quod NAZARIUS probat ex Judæo patre sed matre Christianâ genitus. Anceps diu in utrius religionem pedibus iret, demonstravit tandem plus matris se bibisse, fontique sacro admotus à Lino Pont. Mediolanum abiit. Ibi non multo tempore patrimonium omne in egenos effudit, cumque vincitis pro Christo animum faceret; mercedem nobilem magnique martyribus æstimatam fustuarium accepit. Sub hæc monitus à defunctâ matre in Gallias contendit. Hic à nobili matronâ nobilissimum puerulum CELSVM accipit inter bonas artes educandum. Quantam, Superi! indoles pulchra discit probo Magistro usa. Neronis imperio ad tribunal uterque raptatur. Dubito an Magistrum, an discipulum plus laudem. Ille pedum calcibus affligitur, nec tamen sibi, sed animulo suo CELSO timet. Hic virgis atrocem in modum cæditur, nec tamen sibi, imò oculo suo Magistro NAZARIO ingemiscit. Mox uterque illatam Christo injuriam

Q. 5

in

370 VITÆ SANCTORVM. 29.Iulii.
in Diis ulciscuntur , rectiusque hos humi affi-
gunt. Mari deinde velut prato inambulantes vi-
disses. Mitto cætera. NAZARIUS cervicem gladio
præbuit. Idem CELSVS fecit , tantillus discipulus
Magistro tanto non impar. Ex Lippeloo.

*Quod loquimur, dictamus & scribimus, de vita no-
stra parte prætervolat : qui dudum infans , subito puer,
repentè juvenis, & usque ad senectutem per spatia mu-
tatur incerta , & antè se senem intelligit , quām juve-
nem non esse miretur. S.Hieron.in c.40.If.*

S. OLAUS MART. 29..Iulii.

SI ulli magnatum profuit alienas terras lustra-
re, OLAO profuit Norwegiæ Regi. Fortè An-
gliæ regnum hospes intravit , cùm oculis , non ut
hodie fit, ad curiositatem abusus , inter peregrina
decora Fidem nostram aspexit. Placuit ; ac proin
Rothomagi posteà sacris undis ablutus alias in re-
gnum suum rediit , aulæ comites permultos Epi-
scopos & fidei præcones trahens. Sed & ipse glo-
riosum duxit dignumque rege munus , Evangelii
præconium facere, quæ quidem inter Imperii cu-
ras prima jam illi erat. Altera ab hac , cùm otium
bella dabant , purgare regnum ab ariolis & incan-
tatoribus, quos ille, quia fumos vendunt, dignis-
simos ignibus judicavit. Leges quas Ecclesia san-
xit, quām sanctas à suis haberi voluerit, ex eo per-
spicies , si scias quām severè neglectas in se ipso
vindicarit. Nam fortè festo die cortice bacillum
nudabat. Monitus statuit à malè otiosâ manu po-
nas continuò expetere. Itaque assulas in ipsâ ma-
nu incendi voluit, & peccantem ignibus expiari.
Cæterum quia justitiæ amans cumprimis erat,
nihil mirum si post hanc terris prōscriptam etiam

ipse